

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a-231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

perfusos Nilo foecundissimo fluvio, sine cujus beneficio tota Aegyptus arida et inhabitabilis esset, sicut in tractatu de Nilo dicitur. Deinde in processu venimus, ubi in utraque parte viridaria et hortos habuimus, repletos aquis Nili. Stabant autem in ipsis hortis arbores praecellentes et domus magnae et munitae, depictae sicut castra, et in medio processimus, sicut in civitate inter habitationes. Nam a Busiri usque Cairum videtur esse una continua civitas, nec possum ex scripturis et historiis aliud intelligere, nisi quod Memphis, Busiris, Cahirum, Babylonia, Eliopolis et Thebis vel Theba sit una eademque civitas omnium mundi civitatibus maxima et celeberrima, ut clarius patebit in descriptione Cahiri. Processimus ergo diu per vicos, aestimantes, nos esse in civitate, sed Trutschelmannus dixit quod non. Tandem ingressi urbem (b) illam maximam, toti mundo formidabilem, cum magna festinantia processimus duabus horis continuis et hominum turmas penetra- vimus stantium et ambulantium in vicis in infinito numero cum luminibus, lucernis et faculis; erat enim hora laetitiae eorum, comestionis et solatii propter jejunium, quod de die servant, ut patet supra fol. 74, et currebant omnes vici pleni. Juvenes autem videntes et cognoscentes, nos esse peregrinos Christianos, cum clamoribus currebant post nos et homines concitabant contra nos spargentes pulverem; verum nostra festinatio liberavit nos a pro- sequentibus. Erat autem tantus clamor et hominum compressio, quod non est dicibile, tot lumina et candelae, tantum tripudium, ac si esset ibi totum mundi gaudium et hoc non in uno loco, sed in omnibus vicis. Tandem autem in Tanguardini Trutschel- manni curiam ingressi sumus et occurrit familia cum luminibus, et bestias exoneravimus cunctasque res nostras in unum cumulum jactavimus usque mane. Compositis rebus introducti fuimus in quoddam grande coenaculum, stratum, pulchrum, depictum et marmore polito vestitum, sed sine lectis, sine pannis, sine scam- nis et sedimus super pavementum, reclinantes nos ad parietes, et dormire coepimus, sed quietem capere non potuimus propter tripudiantes in curia. Venit autem Tanguardinus, dicens: oportere nos sic manere usque ad diem et tunc vellet provisionem nobis facere de habitaculis. Dum autem dies illucesceret, cessaverunt ab inquietudine et factum fuit silentium magnum in domo, nos vero more nostro surreximus et laeti de adventu diei fuimus; erat

030

028

034

024

039

019

079

129

529

Ende

Anfang